duriſsimo litteræ cortice latentem, ut illa interveniente, omnia quamlibet gravia peccata remittantur. Beati igitur pœnitentes: quoniam pœnitentiæ meritis omnes illorum iniquitates remiſſæ ſunt. Magna ergo pœnitentiæ virtus, quæ ſi peccatorem in priſtinum juſtitiæ ſtatum ſic ſæpe reſtituit, ut nullum præteriti lapſus veſtigium maneat, quo fit, ut innocentiæ merito æquari poſsit. Propter quod in Ezechiele Propheta, (*cap.* 44.) per portam ad aquilonem etiam gloria Domini tranſire dicitur, ſicut per portam ad orientem. Omnes qui divinum gratiæ lumen, quod ſemel hauſerunt, conſervarunt, in innocentia perſiſtentes, portam ad orientem habent, per quam Domini gloria ad illos intrat. Qui autem in peccata ruentes frigore malitiæ congelantur, portam ad aquilonem habent, quia illis etiam poſt peccati frigora regni aditus per miſericordiam patet. Porta ergo quæ ad aquilonem eſt, eadem habere dicitur quæ porta ad orientem: quia multi poſt pœnitentiam fiunt adeo boni ſicut illi qui á peccatis abſtinentes, innocentiam cuſtodierunt. Et quod mirabilius eſt, multi poſt lapſum fortiores per pœnitentiam ſurgunt, quam antea fuerant, quia quo magis ſe cecidiſſe agnoverint, eo magis ſurgere conantur. Cum autem cuilibet bene conanti Deus ſemper porrigat manum ſuam, fit, ut Deo adjuvante, & peccatore magis annitente, peccator rectior & fortior ſurgat, & cautior poſtmodum vivat. Unde evenit, ut pœnitentia non ſolum æquetur innocentiæ, ſed illi ſæpenumero jure poſsit præponi. In cujus rei confirmationem illud advertendum eſt, quod hoſtia capræ quæ pro peccato offerri jubetur, in eodem loco immolari præcipitur, in quo holocauſtum, hoc eſt in introitu tabernaculi, cum tamen ovis pacificorum, quæ innocentiam deſignat, non in introitu tabernaculi, ſed longe, puta in veſtibulo, jubebatur immolari. Quod non ob aliam cauſam dictum eſſe putandum eſt, niſi quia ſæpenumero pœnitentia longo intervallo excedit innocentiam, ita (ut juxta Pauli ſententiam *Rom.* 5.) ubi abundavit delictum, ſuperabundet poſtea gratia. Credo firmiter meliorem fuiſſe David poſt peccati pœnitentiam, quam ante peccatum. Non dubito Petrum firmius dilexiſſe Dominum poſtquam egreſſus foras flevit amare, quam ante negationem illum dilexerat. Quis dubitat Magdalenæ vitam poſt lachrymas in domo Simonis fuſas multo excellentiorem & majoris meriti fuiſſe, quam ante umquam fuerat. Nec opus eſt longum catalogum texere, cum quotidie videamus multos, qui à ſtatu juſtitiæ miſerabiliter lapſi, fructuoſa poſtmodum ſuccedente pœnitentia, primam meritorum gratiam tranſcenderunt. Sæpe enim contingit, ut aliquis ab hoſtibus circundatus parum conetur & tepide, pro ſui defenſione, eo quod ſecurum ſe putat, nec hoſtes ſuos timet, ſi tamen in hoſtium poteſtatem venerit omnes exerceret vires, nullum non movet lapidem, nihil intentatum relinquit, ut ab hoſtibus eripiatur, ereptus poſtea ſi contingat oppugnari, fortius reſiſtet, & cautius aget. Ad eumdem modum evenit in multis, qui poſt pœnitentiam fortiores ſurgunt & cautiores, quam antea fuerant. In quibus nulli dubium, quin illorum pœnitenria innocentiæ eorumdem ſit merito præferenda. Cum ergo tanta ſit pœnitentiæ virtus, tot teſtimoniis & experientiis comprobata, quiſquis ſe peccaſſe meminit, ad pœnitentiæ remedium confugiat, quum nullum eſt tam grave peccatum, neque tanta peccatorum multitudo, cui illa ſubvenire non poſsit, peccatorum impetrans remiſsionem. Qua data, ſtatim regni cœleſtis aditus patet per merita Jeſu Chriſti filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Et quorum tecta ſunt peccata.

EXplicita pœnitentiæ virtute, quam tantam eſſe diximus, ut ipſius meritis, quamlibet grave peccatum, quamlibet etiam numero ſunt remittatur, nunc vero pœnitentiæ radicem, videlicet charitatem, á qua omnis pœnitentiæ virtus procedit, Propheta explicat, dicens illos eſſe beatos, quorum tecta ſunt peccata. Non ſunt enim remiſſæ iniquitates, quæ non ſunt tectæ. Teguntur autem per charitatem, ſicut beatus Petrus ait: (1. *Pet.* 4.) *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Operit quidem velut veſtis, quæ ſi corpus aliquod ulceribus plenum texerit, efficiet, ut vulnera illius non videantur ab aliis: ita charitas, ſi animæ peccatis vulneratæ infundatur, omnia illius vulnera teget, ut jam non videantur á Deo, qui omnia novit. Sicut enim ipſemet Deus neſcire ſe dicit malos propterea quod illis præmia æterna donare non ſtatuit, ita etiam merito dicemus illum neſcire mala, quæ ſuperveniente charitate teguntur, eo quod illis æternam pœnam jam non decernit injungere. Nullum eſt enim malum aut bonum adeo ſecretum, ut illi Deus pœnam aut præmium non decernat. Malum ergo, cui à Deo juſta non decernitur pœna, ab illo (juxta hunc locutionis modum) ignoratum eſſe convincitur. Nam alias nihil eſt, quod illum latere poſsit. Quid poterit occultum eſſe illi, cujus oculi contemplatur bonos & malos, & cujus oculis (ut ait Paulus *Hebr.* 9.) omnia aperta ſunt? Videt ergo Deus mala, quorum pœnituerunt eorum auctores, non tamen ſic ea videt, ut illis pœnam æternam infligere ſtatuat, quia charitas ſuperveniens obſtat, ne ſic á Deo videantur. Charitas, quæ ſe oculis divinis objicit quo minus Deus peccata videat, hæc eſt, quæ peccata tegere dicitur, & ab hac omnem ſuam virtutem peccatorum pœnitentia capit, ut illius meritis peccata remittantur. Nec ſolum pœnitentia, ſed quodvis aliud bonum, ut abſolute bonum, hoc eſt vitæ eternæ meritorium dici poſsit, à charitate habet. Hac enim ſecluſa, nihil eſt quod vita æterna, dignum dici poſsit. Hæc eſt, quæ cuilibet bono operi tribuit virtutis perfectionem. Omne igitur quod vere bonum eſſe debet, charitate perfici oportet. Nam in magnifico illo Salomonis templo nil erat quod non auro tegeretur. *Templum Dei* (ut ait Paulus 1. *Corinth.* 3.) *ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Verum hoc templum, & ſi in aliis quamlibet pretioſis virtutibus conſtruatur, charitatis tamen tegumento deficiente, indignum tanto habitatore judicabitur. Tegit ergo omnia charitas, ſive bona illa ſint, ſive mala. Bona tegit, quia illis tribuit exactam virtutis perfectionem, & ultimum bonitatis complementum. Mala tegit, quia illa ne à Deo videri poſsint, operit, ſicque operit, ut illa ſola abſque ullo expreſſo peccatorum dolore valeat ad peccatorum remiſsionem obtinendam. Si quis enim peccator, maximis etiam criminibus obvolutus, á tyranno aliquo tormentis urgeretur ut fidem negaret, & ille conſtanti animo fidem teneret, & tormenta omnia, omnes cruciatus, mortem denique pro Dei amore contemnens, patientiſsime toleraret, nullus dubitat, hujus mortem fore in conſpectu Domini pretioſam, etiam ſi tormentis tunc cogentibus peccatorum ſuorum minime recordatus, nullum propter illa mente concepiſſet dolorem. Ille quidem peccatorum pœnitudinem in virtute & charitate habuiſſe dicetur, qui charitatem habuit, quæ eſt veræ pœnitentiæ radix. Si autem vice verſa peccatorum pœniteret, nec tamen charitate aut ſtimulante aut cogente id faceret, nihil illi ad ſalutem hujuſmodi pœnitentia valeret. Et hæc eſt una ex potiſsimis cauſis propter quam illis qui ſunt in inferno numquam peccata remittentur, quamvis Salomone teſte, (*Sapi.* 5.) propter delicta perpetrata gemant, & illorum pœniteant: quoniam ut id faciant, non illos charitas impellit aut comitatur, ſed ſolum pœnarum odium, & ſui ipſorum amor. Ex his ergo omnibus colligimus, ſolam charitatem eſſe, quæ tanti pœnitentiam facit, ut illius meritis peccata remittantur. Hinc eſt quod Chriſtus Servator noſter, cum mulieri peccatrici peccata condonavit, ait: (*Luc.* 8.) *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Non dixit, quia multum doluit, aut quia multum lachrymata eſt, aut quia oleo caput meum unxit, aut quia pedes meos lachrymis ſuis rigavit & capillis terſit: quoniam omnia illa & alia multo duriora, ſecluſa charitate, non valent ad remiſsionem peccatorum; ſed dixit, quoniam dilexit multum, ut videlicet omnem pœnitentiæ virtutem ex Dei amore pendere innueret. Et propter hanc cauſam Propheta (ut ego exiſtimo) poſtquam pœnitentiæ virtutem explicuerat, dicens beatos eſſe illos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ſtatim cauſam & originem illius remiſsionis aperuit eſſe charitatem dicens, & quorum tecta ſunt peccata. Tegit autem (ut diximus) ſola charitas. Non enim ſentio cum illis, qui aliud putant intelligi per iniquitates, & aliud per peccata, ita ut iniquitates referant ad ea, quæ per baptiſmum diluuntur, peccata vero, ad illa, quæ poſt baptiſmum commiſſa per pœnitentiam remittuntur. Mihi vero (cum bona illorum venia) ea probatur ſententia, ut hæc poſteriot verſiculi pars non aliud quid à priori ſignificet, ſed ſit quaſi prioris partis interpretatio, juxta quem loquendi modum ſunt in Pſalmis Davidicis multa. Et, ut unum aut alterum é multis proferam, illud eſt apertiſsimum, quod in Pſalmo quinquageſimo dicitur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Nam ideo peccatum ſe cognoſcere ait, quia illud ſemper ob oculos ſuos obverſabatur. Vix enim fieri poteſt, ut quis, niſi cæcus ille ſit, non videat illud, quod ſemper eſt coram oculis ſuis. Et illud eſt aperriſsimum, quod in (*Pſal.* 101.) ait: *Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Quid ſit proſpicere de excelſo ſancto, expoſuit per id quod ſubdidit. *Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Et in (*Pſal.* 69.) *Deus tu ſcis inſipientiam meam.* Quam ſententiam repetens ſubdidit: *Et delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Ad hunc modum ego nunc Davidem feciſſe cenſeo, qui poſtquam dixerat illos eſſe beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ſtatim ipſius remiſsionis principem cauſam explicuit, ſic inquiens. *Et quorum tecta ſunt peccata.* Quibus verbis, charitatem, quæ ſola tegere valet peccata, ſignificavit, docens illam eſſe, à qua omnem ſuum vigorem vera pœnitentia ſumit. Verum hic admonendum cenſui, ut nullus putet ſic ad veram pœnitentiam eſſe neceſſariam charitatem, ut ſi aliunde, puta ex timore mortis, aut ex metu juſtiſsimi judicis, aut ex odio pœnarum inferni, aut alia quavis ſimili cauſa inchoetur, malam illam eſſe credat, aut quæ utilis & fructuoſa eſſe non poſsit. Abſit à Chriſti fidelibus hæc ſententia: quam ſacræ litteræ, & ſanctorum omnium concors ſententia damnant. Nam hæc inter Lutheri impietates & venenoſa dogmata numeratur. Si enim peccatorum pœnitudo, quæ à timore ſervili inchoatur, bona eſſe non poſſet, numquam Chriſtus Servator noſter per talem timorem peccatores ad pœnitentiam hortaretur, at ſæpiſsime hunc timorem, peccatorum cordibus incuſsit, ut vel timore cogente male actorum pœnitentes, bene ſibi in poſterum conſulerent. *Niſi penitentiam* (inquit ille *Luc.* 13.) *egeritis, omnes ſimul peribitis.* Et cum de ultimo illo & digne timendo judicio diſputaſſet, dicens illius diem eſſe incertum, ſtatim ſubdidit. (*Matth.* 24.) *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Et in parabola de cœna, ad quam cum invitati recuſarent venire, ait Dominus ſervo. (*Luc.* 14.) *Exi in vias & ſepes, & compelle eos intrare, ut impleatur domus mea.* At quis non videt compulſionem fieri, non tractu ſuavi, ſed per quandam quaſi vim & violentiam, & tamen ſic compulſi, intrant domum Dei, & implent illam. Et præcurſor illius Joannes Baptiſta, cum peccatores ad pœnitentiam hortatur, iram Domini illis futuram, ni id fecerint, docet, ut timore urgente, diſcant á peccatis cavere, & propter jam commiſſa dolere, ſic enim ait: (*Luc.* 3.) *Genimina viperarum, quis oſtendit, vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et paucis interjectis, pœnas inferni minatur iis, qui non egerint pœnitentiam, ſic inquiens: *Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Si mala eſſet peccatorum pœnitudo, quæ à timore mortis & gehennæ inchoatur, numquam Salvator noſter, aut illius præcurſor peccatores ad illam hortaretur. Deinde parabola illa apud Matthæum (*cap.* 18.) de Rege ſubducente rationem cum ſervis ſuis, & debita ab uno ſervorum exigente, apertiſsime docet talem contritionem peccatorum, quæ à gehennæ odio oritur, eſſe bonam, & fructuoſam, & ad peccatorum remiſsionem obtinendam ſufficientem. Nam ſervus ille, decem millium talentorum debitor, qui eo quod ſolvendo non erat, juſſus eſt vendi, hoc eſt, dæmonibus ad torquendum tradi, horrore & odio pœnarum, quibus illum Rex deſtinabat, preces ad Dominum fudit, humiliter pro ſola debiti prorogatione ſupplicans, cui Rex pro ſua benignitate & magnificentia, non ſolum quam petiit dilationem, ſed totius debiti remiſsionem indulſit, quæ rata permanſiſſet, ſi ille eam impendiſſet conſervo miſericordiam, quam ſe à Domino accepiſſe meminerat. Non eſt ergo mala pœnitentia, quæ á timore etiam ſervili inchoatur. Verum & ſi hujuſmodi pœnitentia, quæ ex timore gehennæ & horrore pœnarum oritur, mala non ſit, bona tamen numquam erit, niſi ultra progrediatur, ut ſcilicet ex timore procedat in amorem, ita, ut quod timore inchoatum eſt, amore poſtmodum perficiatur. Nam hæc eſt timoris ſervilis virtus & bonitas, quod amorem inducere poteſt, velut acus filum. Nam de hoc timore teſtatur Propheta, (*Pſal.* 110.) illum eſſe initium ſapientiæ, illius (inquam) ſapientiæ, de qua Sapiens ait: *Dilectio Dei honorabilis ſapientia.* Fieri enim poteſt, ut quis ex odio pœnarum procedat ad cognitionem peccatorum, conſiderans & perpendens quanta ſit peccati malitia, cui tot, tantæque parantur pœnæ. Nam (ut eſt apud Eſaiam: *cap.* 28.) *vexatio dat intellectum.* Deinde ex cognitione peccati, convertit ſe ad cognitionem virtutis, & quanta ſit merces illi á Deo parata, conſiderat, & inde ad Deum pervenit, illius juſtitiam comtemplans: qui ut malis pœnam, ita bonis præmia magna tribuit, & propter hoc illum amat. Et inde iterum convertit ſe ad peccati conſiderationem, per quod agnoſcit ſe Deum offendiſſe. Tunc igitur peccati nequitia exacte conſiderata odit illud, non ſolum ratione pœnarum, quæ propter illud infligendæ ſunt, niſi pœniteat, ſed quia malum, quia virtuti contrarium,

autem in judicio justorum peccata quæ olim commiserunt manifesta fient, tunc ii, qui antea Deum accusaverant, intelligent omnes, justum supplicium & mitissimum justis à Deo fuisse irrogatum. Verum etsi justorum peccata de quibus pœnituerunt, manifesta in judicio fient, nullam tamen inde confusionem, immo potius gloriam maximam haurient. Quemadmodum enim qui ab hoste prostratus, & ad terram dejectus est, si postea tantum nitatur, ut resurgens, hostem à quo prostratus fuerat, ipse prosternat, magnam inde reportat laudem: ita qui in peccatum lapsus fuerat, si illius postmodum pœniteat, in magnam illi cedit gloriam. Magna certe gloria est, si cum ab hostibus vulneratus & captus fueris, ab illis eripiaris, & illos graviter percutias, & tandem in captivitatem redigas eos ipsos qui te cœperant. Idem in pœnitentibus contingit, qui cum à dæmonibus vulnerati & captivi proptet peccata tenerentur, per pœnitentiæ virtutem laqueos diaboli evadunt, & eos ipsos dæmones capiunt, quod magna est pœnitentium gloria. Beatus ergo vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Sed quare dixit beatus vir? Numquid non etiam beata fœmina, cui non imputavit Dominus peccatum? Numquid non impetrabit fœmina peccatorum suorum remissionem, si illorum pœnituerit? Impetrabit quidem, sed cum pœnitentiam peccatorum egerit, jam non fœmina, sed vir censebitur: quoniam & si juxta carnis sexum fœmina sit, ex robore tamen animi & virtute vir dicetur. Magna enim virtus fuit debellare hostes, devincere peccata. Magnum atque fortissimum est omnes extraordinarios & vagos carnis appetitus fræno rationis cohibere, propriam voluntatem abjicere, quæ dulcia videbantur, relinquere. Tanta fortitudine ad hoc peragendum est opus, ut sapiens dicat: (*Prov.* 16.) *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Numquid non magnum fuit devincere omnes aereas potestates? Numquid non magnum debellare principes tenebrarum harum & rectores mundi? Revera magnum, præsertim si consideretur, quod non sit potestas super terram, quæ illorum potestati possit conferri. Sic enim masculus qui debiliter agit & infirmiter, fœmina propter hujus sexus fragilitatem dicitur in sacra scriptura, ita contra quæ viriliter agit & confortat cor suum, vir & non fœmina jure appellari potest. Quisquis ergo suorum peccatorum pœnituit, sive masculus ille sit, sive fœmina, beatus vir dicendus est: quia sic viriliter agit, ut peccata, à quibus captivus tenebatur, omnino devicerit, illaque occiderit. Beatus ille quidem, quia nullam jam pœnam jure timere potest, sed æternam securus & certus expectare beatitudinem per merita Jesu Christi filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Neque est in spiritu ejus dolus.

NUllum est opus ex omnibus quæ Deo offerri possunt, quo peccator Deum contra se iratum placare valeat, & ad misericordiam flectere, nisi ex intimis cordis penetralibus illud ortum fuerit. Neque eleemosyna valet, si illam sola manus obtulerit. Orationem Deus non exaudit, si sola oraverit lingua. Jejunium non est illi gratum, cum sola corporis membra jejunant. Sola etiam vocalis peccatorum confessio non valet peccata delere, nisi peccator corde perinde ac lingua se peccasse fateatur. Nullum est sacrificium aut holocaustum quo Deus delectetur & placabilis fiat, nisi spiritus contribulatus, cor contritum & humiliarum. (*Psal.* 50.) Nam qui dixit se carnes taurorum & hircorum non manducare, neque illa petere é manibus nostris, ille idem dixit: (*Prov.* 23.) *Fili præbe mihi cor tuum.* Ob hanc causam, cum Propheta pronuntiasset beatum virum esse pœnitentem, eo quod illi Dominus peccatum non imputavit, ne hoc de qualicumque pœnitente quis dictum putaret, mox de quo pœnitente loquatur, subjunxit, dicens: *Neque est in spiritu ejus dolus.* Quibus verbis expressit, quis sit pœnitens ille, cui peccati remissione accepta, peccatum deinceps non imputatur. ille (inquit) in cujus spiritu non est dolus. Vel (ut alia translatio habet) in cujus ore non est dolus. Quæ duæ translationes in sensu minime differunt, quamvis aliud verba illarum sonare videantur. Non enim fieri potest, ut quis linguam habeat dolosam, nisi etiam dolosum habeat spiritum. Neque contra fieri etiam est possibile, ut in spiritu alicujus sit dolus, quin (si tamen eum loqui contingat) sit etiam dolus in ore illius. Nam ille habet dolum in ore & in spiritu, qui aliud loquitur, & aliud facere proponit: qui dicit se relicturum pristinam vitam suam malam quæ ducit ad mortem, & ingressurum viam rectam quæ ducit ad vitam, nec tamen ut ore promittit se facere intendit, nonne in ore istius est dolus? Qui ex oculis suis lachrymas propter commissa scelera vix vi impetratas demittit, & corde lætatur, hic oculos habet dolosos: quoniam tristitiam cordis testatur, cum tamen cor illam non habeat. Qui ore se peccasse fatetur, nec tamen peccatum relinquit, hic spiritum habet dolosum: quoniam si vere peccatum agnosceret, statim illud derelinqueret. Qui ergo in peccato perseverat, convincitur non plene peccatum suum agnoscere, quamvis se cognoscere dicat. Et hic talis, duplex animo in scriptura appellatur: quoniam unus est animus latens, alter quem verba foris ostendunt. Propter quod in (*Psal.* 11.) Propheta ait: *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Dicens in corde & corde, duplex cor significavit. Qui autem sic duplex est corde, gravissime peccat; tantum abest, ut confessio peccatorum, quæ duplici animo fit, veniam peccatorum impetrare valeat. Nam qui sic duplex est animo, mendax esse convincitur, mendacium autem nullus dubitat esse peccatum. Deinde qui duplex est corde, proximum, cui loquitur, & cum quo conversatur, decipere optat. At ille qui proximum decipit, nisi resipiscat, non potest perpetuam assequi beatitudinem. Nam cum Propheta percontaretur Dominum, quis habitaret in tabernaculo ejus, aut quis requiesceret in monte sancto illius, responsum accepit, sic inquiens: (*Psal.* 14.) *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Et post pauca ait: *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* Ex quibus colligimus, eum qui agit dolum in lingua sua, aut proximum suum decipit, in monte Dei sancto, æterna scilicet beatitudine requiescere non posse. At nullus nisi peccator arcetur ab illo sancto Dei monte. Peccatorem ergo oportet esse illum, qui dolum agit in lingua sua, & proximum suum decipit. Nec leve putandum est hoc peccatum, sed gravissimum, utpote quod omnem humanum tollit convictum. Si veritas in ore non est, nullus alteri credet. Si credulitas abest, & confidentia, aberit etiam omnis humana conversatio. Quis volet audire illum, de quo dubitat, vera, an falsa referat? Quis fidet dictis illius, qui numquam facta dictis compensare voluit? Quis pacisceturcum illo, quem scit non servaturum pactum? Fide abrogata, perit omnis convictus, perit omnis civilitas, immo ipsam totam civitatem perire ne-

cesse est, cum jam nihil superfit, quod illam animorum unitatem, quæ ad veram civitatem exigitur, conservare valeat. Cum terra esset unius labii, & eumdem sermonem haberent omnes homines, cœperunt ædificare turrim Babel. Ut autem Deus eorum linguam confudit, statim cessatum est ab opere, nec amplius ædificare potuerunt. Quomodo potuissent ædificare, si alius alium in opere adjuvare non poterat? Quomodo potuissent se invicem adjuvare, si unus alium non intelligebat? Non est possibile, ut unus alteri ministret, præbens illi quod petit, nisi illum jubentem intelligat. Nam alias contingere necesse est, ut sæpe lapidem pro calce, lignum pro clavis offerat. Quo rerum gerendarum ordine, ædificium male profecisset. Sic etiam eveniet inter eos, qui duplici sunt animo: quoniam nullus alium intelliget, eo quod eorum quilibet linguam habet specialem, quam alius intelligere non potest. Si quod ore affirmas, hoc maxime corde negas, si quod ore probas, hoc mente damnas, nullus tuam linguam cognoscere poterit. Si cum vehementer lætatur cor tuum, tristissimas lachrymas ex oculis tuis demittis, aut cum tristis est anima tua, hilarem vultum ostendis, aut si hosti vultum prætendis amicum, vel amicum tractas ut hostem, quis te intelliget? Vel duo, vel nemo: nemo hercule nemo. Deinde si quis te non agnoscit amicum, quo pacto veniet illi in mentem ut tibi vicem reddat, aut saltem gratias agat? Si tu etiam hostem tuum putares amicum, quo pacto te observabis ab illo? vix certe fieri potest, ut ejus manus effugias. Propter quod Propheta hoc agnoscens, in alio quodam Psalmo divinum implorabat auxilium, ut ab hujusmodi hominibus liberaretur, sic inquiens: (*Psal.* 11.) *Salvum me fac Domine quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Vana, vel (ut alia translatio habet) mendacium loquuti sunt unusquisque ad proximum suum: *labia dolosa in corde & corde loquuti sunt.* Ideo se á Deo salvari petit, quia non putat se liberari posse ab hominibus qui mendacium loquuntur ad proximum suum, & qui labia dolosa in corde & corde loquuntur, qui aliud ore proferunt, & aliud corde retinent. Propter quod pœnam, quæ hujusmodi hominibus paratur, Propheta subjunxit, dicens: *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Quæ verba non sunt imprecantis, aut maledicentis, aut ultionem optantis, cum non sit mos sanctorum maledicere, sed verba sunt hominis divinam sententiam prophetico spiritu pronuntiantis in eum, qui dolose agit cum proximo suo. Quantum Deus hoc peccatum odiat, in (*Psal.* 5.) Propheta testatur, dicens: *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Vide quam malum sit esse dolosum: quod virum dolosum cum viro sanguinum conjunxit, & æqua illum lance pensavit. Et merito, quum (ut de illo ait Esaias *cap.* 32.) *ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii.* Et Hieremias (*cap.* 9.) ait: *In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias.* Propter quod recte Eliu apud Job (*cap.* 36.) ait: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Si tam grave est peccatum velle decipere proximum suum, quantum putas erit peccatum velle fallere Deum? At, quia peccata sua Sacerdoti, qui loco Dei sedet, narrat, & se coram illo accusat, & se illorum pœnitere ait, cum tamen vere non doleat, nonne ille Deum tentat? Nonne ille vana & mendacium loquitur ad Deum suum? Nonne labia dolosa in corde & corde locutus est? Nonne ille talis pacem cum Deo loquitur, & occulte bellum adversum eum tractat? Hunc igitur talem disperdet Dominus; tantum abest, ut gratus illi sit. Nam ficta & simulata peccatorum confessio, non solum peccata non delet, sed auget: quoniam qui simulate peccatum suum coram Sacerdote confitetur, dolum habet in spiritu & in ore suo. Tales autem sunt (heu) nimium multi, qui ob solam temporis consuetudinem ad Sacerdotis pedes accedunt, absque ulla peccatorum investigatione, sine ulla illorum cognitione, absque ullo prorsus dolore, absque ullo etiam vitæ in melius commutandæ proposito, sed solum confitentur, quia alios hoc facere vident, quod ni fecerint, probro sibi futurum timent. Hæc autem non est vera pœnitentia, nec vera peccati confessio: quoniam qui vere pœnitet, & vere confitetur peccatum suum, propter admissum scelus plangit & dolet, & plangenda se iterum non committere firmiter statuit. Quod si horum alterum desit, vera non erit confessio, quamvis enim ore se peccasse fateatur, talis tamen confessio peccatum omnino delere non sufficiet. Si quis enim arborem, quæ altis radicibus terræ infigitur, á terra evellere tentet, numquam id absque terræ ruptura & effossione efficere poterit. Sic etiam qui peccatum, quod fixas habet in corde suo radices, á corde suo per confessionem evellere cupit, oportet ut cor suum per contritionem & dolorem scindat, quemadmodum Johel Propheta hortatur, (*cap.* 2.) dicens: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Qui putat sola vocali confessione absque ullo cordis dolore peccatum suum delere, fallitur non aliter, quam qui crederet sine ulla terræ ruptione arborem á terra evellere. Vera ergo confessio, quæ peccatum expiare debet, exigit aliquem cordis pro peccato dolorem. Non tamen oportet dolorem talem esse vehementem, aut nimis amarum: quoniam etsi talis dolor sit necessarius, ut quis veniam peccati ante confessionem impetrare valeat, tamen adjuncta confessione quicumque dolor quamlibet parvus, (modo cætera quæ ad rectum dolorem exiguntur, adsint) erit satis ad peccati indulgentiam obtinendam. Tunc enim Sacerdotis absolutio, quæ magnam ex meritis passionis Christi (ut cætera sacramenta) habet virtutem, supplet id quod deerat ex dolore cordis necessario ad peccatorum indulgentiam. Si vero omnis absit peccati dolor, aut bonus ille non sit, confessio peccati non valet peccatorum remissionem impetrare: quia novam vitam inchoare non potest, qui veteris vitæ non pœnitet. Ad eumdem enim modum se debet peccator ad peccatorum suorum confessionem disponere, quemadmodum infirmus se præparat ad suscipiendum pharmacum, ut illud putridos & malos corporis humores valeat expellere. Hic enim prius siropos bibit, qui malos & induratos humores emolliant, & ab aliis corporis membris ad stomachum trahant. Humoribus igitur sic paratis, pharmacum suscipit, cujus virtute humores corrupti á corpore ejiciuntur. Quid est confessio, nisi spirituale quoddam pharmacum? Ejicit enim confessio ab anima peccata, sicut pharmacum putridos á corpore expellit humores. Ut ergo hæc plene suum valeat exequi officium, summe necessarium est, cor prius præparari per peccatorum omnium recogitationem, & illorum omnium aliquantulum dolorem. Nam peccatorum recogitatio, quasi humores ad stomachum trahit, cum peccata ad memoriam reducit. Peccatorum autem vel minimus dolor, humores ipsos emollit. Si his omnibus prius, ut decet, peractis, integra peccatorum confessio succedat, omnium peccatorum remissionem impetrare valebit, & in pristinam incolumitatem peccatoris animam restituere. At, si nulla præcedat peccatorum recogitatio, aut nullus illorum dolor, sola vocalis confessio non valebit culpas ab anima expellere, sicut nec pharmacum putridos omnes & obdura-

mus, nil aliud esse remittere aliquod mortale peccatum, quam illud peccatori non imputari. Non autem imputatur, quod ad pœnam æternam non destinatur. Hæc autem omnia apertiora erunt, si consideremus, quales post se reliquias peccatum relinquat, quæ operatione peccati transacta, valeant aliquem in peccatoris nomine conservare. Necessarium est enim manere aliquid in peccatore post criminis perpetrationem, ut peccator dici mereatur: quoniam ab operatione, quæ jam præteriit, talem appellationem non potest suscipere. Id enim quod non est, alicujus vere existentis appellationem non potest tribuere. Ut igitur aliquis malo opere transacto peccator merito dici possit, oportet aliquam peccati reliquiam in illo manere. Nihil autem peccati opus post se relinquit in peccatore præter hoc, quod propter peccati meritum ad pœnam æternam judicatus est, & reus mortis æternæ apud divinum judicium declaratus. Ab hoc igitur solo reatu, & ab hac sola mortis æternæ obligatione, peccator dicitur, post elapsum peccati opus. Obligatione hac dissoluta, & hujusmodi nexibus disruptis, cum nihil jam superstit unde vere possit dici peccator, peccatum ipsum tunc remissum esse dicetur. Quod beatus Petrus Apostolus satis aperte innuit, cum Simonem magum reprehendens, (*Act.* 8.) eo quod donum Dei existimavit pecunia possideri, dixit illi. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Cum autem dixit, obligationem iniquitatis, mortem æternam, cui peccato exigente adjudicatus est, intelligi voluit. Verum quia ab hac obligatione, pœnitentia intercedente liberari poterat, illum admonuit, ut pœnitentiam ageret, fiduciam adipiscendæ remissionis illi præbens. Postquam autem illum ad pœnitentiam, & peccati remissionem per illam quærendam hortatus est, calcaria quibus ad id faciendum vehementius urgeret, addidit, dicens: *In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ex quibus verbis duo colligere possumus. Primum est, quod post peccati opus transactum, ideo aliquis dicitur peccator: quia est in obligatione mortis æternæ, cui propter peccatum est destinatus. Alterum, quod peccatum remitti, est hanc obligationem dissolvi; & peccatorem à tali obligatione eripi. Qui autem ab hujusmodi obligatione eripitur, illi peccatum non imputatur, quo fit, ut idem sit peccatum alicui remittere, & illi peccatum non imputare, hoc est, nullam illi æternam decernere pœnam. Pœnitentiæ igitur meritum, quod priori sermone diximus esse satis ad peccati remissionem impetrandam, nunc apertioribus verbis in præsenti versiculo declaratur, cum dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Hæc est pœnitentiæ virtus, ut ipsa intercedente, peccatum jam non imputetur peccatori. Tantam enim vim apud Deum habet pœnitentia, ut illum cogat (si Deus cogi dicendus est) ad recantandam tristem, quam adversus peccatorem decreverat, sententiam. Sic enim ipsemet se facturum per Hieremiam Prophetam (*cap.* 19.) promittit dicens: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei; & subito loquar de gente & de regno, ut edificem & plantem illud.* Et idem per Ezechielem Prophetam statuit, (*cap.* 33.) sic dicens: *Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis viæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur. Omnia enim peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Sed quare non imputabuntur? Quia ille pœnitentiam egit. Deus enim peccatorem propter antiqua peccata non damnat: quoniam magis præsentia considerat, quam præterita, ipso attestante qui ait: *Qualem te invenero, talem te judicabo.* Nam sicut peccatorem præteritæ non salvant justitiæ, si novis sceleribus fuerit immensus, ita justum, antiqua peccata quamlibet gravia non perdunt, si pœnitentia succedente, præteritos correxerit errores. Non est Deus talis, ut velit bis pro eodem delicto aliquem punire. Puniretur autem bis peccator, si post veram hic ab illo peractam pœnitentiam in inferno iterum puniretur: quoniam qui vere pœnitet, seipsum propter commissa scelera punit, qua punitione, & Dei judicium & punitionem evadit. Puniat ergo hic peccator, ne puniatur postmodum à Deo, seipsum recte hic judicet, ne à Deo postea judicetur: *Si nosmetipsos judicaremus* (inquit Paulus 1 *Corinth.* 4.) *non utique judicaremur.* Propter quod illis, qui etiam cum male actorum pœnituerint, Caim & Judam imitantes, divinam non putant se posse impetrare misericordiam, aptissime convenit illa Prophetæ reprehensio, (*Nahum.* 1.) qua ait: *Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse facit, non consurget duplex tribulatio.* Non est Deus talis, qui velit pœnitentis dolorem producere in immensum, sed consummationem facit. Non infert duplicem pro eodem crimine tribulationem. Prima tribulatio est pœnitentia, alioqui spiritus pœnitentis non dicetetur spiritus contribulatus. *Sacrificium Deo* (inquit Propheta *Psal.* 50.) *spiritus contribulatus.* Sed á quo tribulatus? A pœnitentia, quæ optima & salubris est cordis tribulatio. Hæc est tribulatio illa, de qua Sara uxor Tobiæ junioris, (*cap.* 3.) ait: *Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* Non est aliqua tribulatio, in cujus tempore Deus peccata dimittat, nisi pœnitentia. Neque filiorum mortes, nec deprædatio totius supellectilis, nec salutis propriæ jactura, nec alia quævis corporis tribulatio, quæ afflictissimum hominem reddat, & mœrore consumat, satis est ad peccatorum veniam impetrandam, nisi adsit pœnitentia. Hæc est, quæ cor conterens, contribulat capita draconum in aquis lachrymarum. Et merito pœnitentia tribulatio dicitur: quoniam (ut ait Sapiens *Eccle.* 25.) *omnis plaga tristitia cordis est.* Nam omnis reliqua tribulatio, si cum lætitia cordis suscipiatur, levis est. At si cordis tristitia adsit, gravissima reputatur. Magna ergo tribulatio est pœnitentia. Et sic tribulatis, Dominum prope esse Propheta testatur, dicens: (*Psal.* 33.) *Prope est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Prope quidem, quia in quacumque hora peccator ingemuerit, statim illi subvenit, præstans omnium peccatorum veniam. Talis autem hæc est tribulatio, ut viam præcludat ultimæ tribulationi, quæ malos sine fine contribulabit in inferno. Non consurget (inquit Propheta) duplex tribulatio. Duplex autem esset tribulatio, si post pœnitentiæ tribulationem, inferni tribulatio sequeretur. Deus ergo, qui pientissimus est, eum qui cor suum per pœnitentiam tribulavit, non patietur altera tribulatione pro eodem delicto affligi. Propter quod eadem Sara, quæ supra ad Deum loquens, (*Tob.* 3.) ait: *Non delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.* Attende obsecro ordinem. Post lachrymationem & fletum, exultatio, post tempestatem, tranquillitas. Nec ante fletum vera exultatio, nec ante tempestatem vera tranquillitas. Si ergo exultare cupit peccator, opor-

oportet ut hic prius lachrymetur & fleat. *Euntes* (inquit Propheta *Psal.* 125.) *ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Non exultassent, nisi prius flevissent. Prius ergo flendum, postea exultandum. Si etiam peccator tranquillitatem optat, oportet, ut prius in corde suo tempestatem suscitet, de qua dicitur: (*Psal.* 47.) *In spiritu vehementi conteres naves tharsis.* Spiritus vehemens naves tharsis conterit, cum valida compunctionis vis, mentes nostras in hoc mundo quasi in vasto maris pelago positas, salubri terrore confundit. Cum enim vehemens pœnitentiæ spiritus mentem peccatoris concutit, omnem in ea fallaccem & reprehensibilem lætitiam perturbat, ut nihil jam nisi flere illi placeat, nihil nisi quod illum terrere possit consideret. Ponit namque ante oculos suos, illinc judicis severitatem, integritatem, scientiam, potentiam, hinc gravitatem culpæ, illiusque meritum discutit, illinc acerbitatem pœnæ quæ illi paratur, si immensa Dei pietas, quæ præsentibus lachrymis flecti consuevit, sententiam non mutaverit. His peractis, surgit Aquilo, frigidus ventus, qui peccati malitiam designat, eo quod aquas gratiæ dissipare novit, & flat tunc Auster, spiritus scilicet Dei, & mœrore mens obnubilatur, & fluunt aquæ lachrymarum largissimæ, & quasi concusso serenæ lætitiæ aere, omnem in se tranquillitatem cordis, pœnitentiæ turbo devastat. Sed hujus tempestatis consummationem facit Deus, qui non delectatur in perditionibus nostris, & post hanc pœnitentiæ tempestatem, tranquillum beatitudinis æternæ facit, nec patitur peccatorem pro illis peccatis alteràm post se tolerare tempestatem. Nec de illis peccatis ulla postmodum futura est examinis inquisitio, numquam illa ante tribunal judicis tremendi adducentur examinanda. Unde Job diei suo maledicens, (*cap.* 3.) ait: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.* Petit diem suum á Deo non requiri, nec illustrari lumine, ut autem hoc facilius impetrare valeat, optat diem, in qua natus est, perire, & noctem, in qua dictum est, conceptus est homo. Videamus ergo quæ sit hæc dies, & quæ nox, & quare homo in die nasci dicatur, & in nocte concipi. Sed ante omnia hoc admonere oportet, hominem hoc loco non dici secundum naturam, juxta quam hominis significationem, & justus & peccator dicitur homo, sed hominem hoc loco appellari eum, qui humane, & secundum carnis stimulum agitur & vivit, quomodo appellavit Propheta homines solos peccatores. *Ego autem dixi* (inquit ille *Psal.* 81.) *dii estis & filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini.* Sicut homines dixit, pro eo quod est, sicut peccatores. Et Paulus Apostolus ait: (1. *Corinth.* 3.) *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Hic homo in die nascitur, & nocte concipitur, quia propositum secreto fit, opus autem ipsum palam & publice. Tunc enim homo peccator concipitur, cum se male agere optat, tunc nascitur, cum malam voluntatem ad opus perducit. Quia ergo propositum peccati agnosci non potest, nec ab aliquo nisi á solo Deo videri, ideo in nocte concipi dicitur. Nox enim obscura est, & tenebrosa, propter quod ea, quæ in nocte aguntur, secretiora sunt, & magis occulta, quam quæ in die. Opus autem exterius ab omnibus videri potest, & ob hanc causam peccator in die nasci dicitur: quia quæ in die fiunt, manifestiora sunt, quam quæ nocte. Omne enim quod manifestatur, in lumine manifestatur. Nox ergo, in qua concipitur homo peccator, est mala peccati voluntas, malumque propositum, per quod tunc homo incipit esse peccator, occultus tamen, & inde nocte conceptus. Dies in qua nascitur, est ipsa exterior peccati operatio, per quam peccatum, quod in utero mentis latebat, mundo conspicuum esse incipit. Huic ergo diei Job maledixit, quia de peccato suo vindictam capere voluit, peccatum suum detestatus est, & zelo justitiæ illud punivit. Nam maledictum hic, punitionem secundum justitiam significat, sicut ad Abraham dicitur: (*Gen.* 12.) *Maledicam maledicentibus tibi.* Ac si diceret. Ego puniam eos, qui te in re aliqua læserint. Job ergo maledictio, est proprii peccati detestatio, juxta quam ait: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est conceptus est homo.* Quibus verbis hoc petit, ut peccati voluntas, simul cum malo opere pereat. Perit autem peccatum, cum per pœnitentiam destruitur. Et quia peccatum, quod per pœnitentiam deletum est, numquam postea ad supremi judicis tribunal examinandum deducitur, ideo subdidit: *Non requirat eam Deus desuper.* Deus enim, qui justissimus judex est, numquam nostra opera requirit, nisi ut illa præmio afficiat, aut pœna. Malum ergo, quod Deus non requirit, suo judicio non erit punitum: quoniam si puniendum esset, prius in suo judicio discuteretur. Et quia sæpe contingit, ut ea, quæ non requirimus, nostris oculis sese objiciant, quo fit, ut etiam non requisita videantur, ideo addidit: *Et non illustretur lumine.* Ut videlicet innuerer peccatum nostrum, quod pœnitentia deletum est, á Deo videri non posse: quia quod lumine non illustratur, nequaquam videri potest. Beatus ergo ille vir, qui recte egit pœnitentiam: quoniam illi Dominus non imputabit in posterum peccatum. Nulla tunc illi pro peccato infligetur pœna, non requiret illud in judicio. Nullam pro commisso delicto patietur verecundiam: quoniam etsi ejus crimen tunc omnibus publicetur, non tamen in dedecus, & ignominiam, sed in gloriam cedet illi hæc publicatio. Notum quidem erit omnibus, haud dubie, peccatum, quod justus quisque commisit: quoniam (ut ait Paulus 1. *Corinth.* 4.) *illuminabit tunc Deus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, hoc est, virtutes & vitia. Nam per tenebras, intellexit peccata, quæ animum obscurant. Per consilia cordium, virtutes & bona opera, quæ consilio disponuntur, ut bene fiant. Manifestabuntur autem justorum delicta, quæ olim commiserunt, ut divina magis inde elucescat miseratio, qui peccantes non statim damnavit, sed ad pœnitentiam expectavit, & præmio magno ostenso allexit, & ut pœnitentiam agerent adjuvit, pœnitentes denique recepit. Quæ omnia non parum divinam pietatem commendant, & aliorum peccatorum duritiam & obstinationem confundunt & arguunt, eo quod hanc Dei clementiam in seipsis experiri noluerunt: qui si voluissent pœnitere, etiam suorum peccatorum remissionem fuissent assecuti, ut alii. Ad divinæ etiam justitiæ commendationem opus est justorum tunc peccata manifestari: quoniam sæpe contingit justos propter antiqua peccata puniri in hac vita á Deo tamquam à clementissimo patre, qui vult tam acriter filios suos flagellare, ut in aliam vitam illorum flagella differat. At multi, qui horum justorum peccata, utpote occulta, non agnoscunt, & ideo justam flagellorum causam ignorant, Deum ipsum quodammodo insistunt reum facere, tamquam judicium illi & causæ dictionem intendentes. Quid ita justo illi homini hoc? Cur ista nunc tam sæva tempestas? Ob quam causam tam dirum flagellum? Et quasi succensent non esse Dei consilia suis stultis opinionibus non accommodata. Postquam au-

rium: quia per illud Deus offenditur. Quo facto, Deus pœnitentiam hujusmodi acceptans, statim condonat peccatum, non quidem tunc cum ex solo gehennæ horrore & odio peccatum odire cœpit, quoniam illud odium etsi non malum, inutile tamen censetur, sed cum timore stimulante ad dilectionem perveniens, inde iterum ad peccati odium conversus est. Et tunc peccatum illius charitate superveniente, tectum esse incipit, cum tamen ante adventum charitatis prorsum detectum esset, atque denudatum. Timor igitur præstare potest pœnitentiæ initium, sed sola charitas præstare potest complementum. Timor aperit viam peccatori, per quam ad Deum redire possit, ipsumque peccatorem in limine viæ constituit, charitas vero usque ad finem viæ perducit, quousque illum Deo, á quo per peccatum elongatus fuerat, conjungat. Amore igitur & timore ducimur, & trahimur. Nam sicut universæ viæ, quibus divina majestas ad nos descendit, sunt misericordia & veritas sive justitia, ita universæ viæ, per quas nos ad se trahit, sunt amor & timor. Amoris tractus, dulcis est & blandus, timoris vero, durior, sed saluberrimus, iis potissimum, qui duro sunt corde: quoniam difficile convertuntur ad cor, qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Aliqui solo amore reducuntur, sed hi pauci, quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus. Cæteri vero timore aperiente viam, amore ducuntur. Et hæc duo, timor videlicet & amor, duobus malis, quæ peccatum reliquerat, medentur. In quolibet enim peccato hæc duo insunt, aversio videlicet ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum. Nam de his duobus peccatores omnes Deus notat per Hieremiam Prophetam, (*cap.* 2.) dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Aversionis malum significavit per hoc, quod dixit, illos dereliquisse fontem aquæ vivæ, seipsum fontem appellans, à quo bona cuncta procedunt. Hujus ergo fonris desertio, est omnium bonorum destitutio. Nam sicut illo habito, cum illo omne bonum habetur, ita illo derelicto, simul cum illo omne bonum derelinquitur. Per cisternas, creaturas omnes significavit: quas dissipatas dicit, ruinarum plenas, undique defluentes, eo quod aquas veræ sapientiæ, beatitudinis, pacis & quietis continere non possunt. Si enim quietem aliquam in illis vel ad horam sumpseris, statim alia ex parte quies fugit, nec illam creatura aliqua perpetuo continere non potest, in hujusmodi cisternarum effossione, labor innuitur, qui pro ipsis creaturis sumitur. Quo verborum schemate laborem, qui pro peccatorum perpetratione toleratur, significavit, juxta illud quod per eumdem Prophetam dixit: (*Hier.* 9.) *Ut inique agerent, laboraverunt.* Cum ergo hæc duo mala sint in peccato, aversio á Deo, & inordinata ad creaturam conversio, duo alia contraria exiguntur in vera pœnitentia, ut his duobus malis mederi possit. Primum est, ut revocetur ab inordinato creaturæ amore. Alterum, ut creaturis desertis, se convertat ad verum Dei amorem, qui omnium bonorum est fons. Ut autem ab inordinato creaturarum amore revocetur peccator, multa sunt quæ illum allicere & urgere valent. Primum est, timor gehennæ, vel alterius cujuscumque terribilis pœnæ, quemadmodum bruta animalia ab escis, quas maxime concupiscunt, coercentur. Si enim cani ad cibum currenti & anhelanti baculum objicias, sistit pedem, si mineris acrius, retrahit paullatim pedes, si acerbius agas, & vehementiori impetu illum invadas, prorsus derelicto quem concupiscebat cibo, fugam capessit. Ad hunc modum coerceri possunt peccatores ab iis quæ foris patent, ne scilicet ad aliquam exteriorem transgressionem procedant, per prædicationum tonitrua, per sacræ scripturæ fulmina gehennales flammas minantia. A mala autem peccati complacentia, solus hic timor non potest revocare peccatorem. Unde si perversus quisque tartarea incendia coram se videret, à malorum perpetratione seipsum coercere posset, verum ad amorem justitiæ numquam induceretur, nisi gratia divina illum traheret, sicut ipse ait: (*Joan.* 6.) *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum.* Hoc autem vel ex eo conjici potest, pro timore pœnæ sublato, sicut canis ad vomitum redit. Sic Storax servus, sapiens ille quidem apud Terentium dixit. Malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, cavet, si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit, ille quem beneficio adjungas ex animo facit, studet par referre, præsens absensque idem erit. Potest etiam peccator á creaturarum inordinato amore revocari per amorem & desiderium æterni præmii: ita, ut considerata illius cœlestis præmii magnitudine, omnia hæc inferiora, ut illud assequatur, relinquat: quia omnia hæc ad illud relata, nihil esse judicat. Hoc enim modo Christus ad pœnitentiam alliciebat, dicens: (*Matth.* 4.) *Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum.* Sed hoc, homo peccator ex se præstare non potest, quia cum per peccatum intellectus acies sit hebetata, spiritualia & æterna tamquam á sensu remota, parva judicat, temporalia vero & carnalia eo quod proximiora magna æstimat, & inde evenit, ut carnalia spiritualibus, & temporalia præferat æternis. Tertium quod potest peccatorem ab inordinato creaturæ amore revocare, est purus Dei amor, in cujus comparatione reliqua omnia nihil esse putat, sceins certo, quod cum illo omnia bona advenient sibi. Et quo amor hic purior est & major, eo justitia amplior & perfectior. Si ad pœnitentiam solus timor gehennæ, aut quivis alius similis metus impulerit peccatorem, numquam ille justificabitur, nec verus erit pœnitens, etiam si huic timori conjungatur præmii æterni amor & desiderium, verum non efficiet pœnitentem, nec pœnitentia, quæ solum ab his duabus radicibus oritur, valebit ad peccatorum remissionem obtinendam. Nam illud desiderium, ex sui ipsius amore procedit, quo homo sibi bonum optat, is autem numquam est meriti radix. Propter quod si quis durissimam & acerbissimam ageret pœnitentiam, non amore Dei, sed amore cœlestis præmii, quod sibi dari sperat, numquam sic justificabitur. Tertium igitur superest, videlicet amor Dei, qui solus satis est, ut verum efficiat pœnitentem: qui suorum peccatorum remissionem merito impetrare possit. Si autem huic Dei amore jungatur, aut timor gehennæ, aut præmii desiderium, aut utrumque simul, nihil obesse poterit, modo principem locum hac in causa amor Dei teneat: reliqui autem duo tamquam qui illum juvant, & illi deserviunt. Nam timor quamvis pœnitentiam non perficiat, tamen (ut diximus) animum ad pœnitentiam præparat, viamque illi ad pœnitentiam aperit. Quare cum Dominus ad Heliam veniret, (3. *Reg.* 19.) multa ante se præmiserat, in quorum nullo aderat. Primo enim prentransit ante Dominum spiritus grandis & fortis conterens petras, sed non in spiritu Dominus. Post spiritum commotio, sed non in commotione Dominus. Post commotionem ignis, sed non in igne Dominus. Post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus. Spiritus grandis & fortis, qui præcedit Dominum subvertens montes & conterens petras, timor est futuri judicii, qui omnem superbiæ montem dejicit, & cordis duritiam conterit & emollit, sed non in hoc spiritu Dominus per adoptionis gratiam. Multis enim Deus hunc incutit timorem, qui tamen non corriguntur. Nam de quibusdam Propheta Hieremias (*cap.* 5.) ait: *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Ex quo colligimus, quod ultra timoris incussionem, & flagellorum inflictionem, necessaria est gratia cor molliens, ut timor ille fructuosus esse possit. Et ob hanc causam post spiritum sequitur commotio, id est cordis compunctio, qua Deus illi spiritum timoris infundit; ipse commovet terram cordis nostri, ut de præteritis malis pœniteat & doleat; sed non in commotione Dominus: quia male actorum pœnitentia non sufficit gratiam impetrare & Deum ad cor peccatoris adducere, nisi etiam vitæ melioris propositum accedat. Et ideo post commotionem succedit ignis, cor peccatoris ad desiderium vitæ melioris inflammans; sed nec in igne Dominus per justificationis gratiam. Desiderium enim solum vitæ in melius commutandæ non justificat peccatorem, sed disponit ad justificationem, quæ per solam gratiam fit. Omnia enim illa quæ præcesserunt, præparatoria sunt, quæ prava faciunt directa, & aspera æquant in vias planas, & ideo Dominum præire dicuntur, ut videlicet illi retro venienti præpararent locum. Sed post illa omnia quæ diximus, statim absque ulla mora Dominus sequitur, ideo subditur: *Post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus.* Nam postquam Deus á corde peccatoris propter peccatum recessit, numquam ad illud ante gratiæ infusionem redit, sed tunc primum cor hominis inhabitat, cum gratiam illi confert. Constat autem prius peccatorem velle in melius vitam mutare & Deum diligere, quam illi Deus gratiam infundat, quapropter in igne, qui propositum vitæ melioris & dilectionem Dei figurat, merito Dominus non inesse dicitur, eo quod ille prior sit gratia. In sibilo autem auræ tenuis Dominus esse dicitur, quæ nos Deo conjungit. Verum etsi in igne Dominus non sit, Domino tamen sic præparat locum ignis, ut illum habitare numquam Dominus dedignetur; quo fit, ut statim post ignem ipse sequatur: quia postquam peccator Deum vere diligere incipit, statim Deus peccata remittit, & gratiam, qua bene operetur, tribuit. Attende igitur ordinem. Primus accedit timor, hunc sequitur cordis compunctio, compunctioni succedit amor Dei, amoremque Dei, numquam deserit remissio peccatorum & gratia, quin statim illum sequantur. A timore ergo inchoata pœnitentia, in amore tandem perficitur, & charitate consummatur. Illa autem sic consummata, statim illius meritis peccata condonantur, & gratia confertur. Quapropter charitas merito tectum dici potest: quia est totius ædificii complementum, & quo reliqua, quæ intra domum sunt, teguntur. Merito ergo David ait, beatos esse illos, quorum tecta sunt peccata: quoniam illa sola sunt vere tecta, quæ á charitate teguntur. Quæ autem sic tecta sunt, illa sola remissa sunt. Cum ergo David ait: *Beati quorum tecta sunt peccata*, huc tendit, ut dicat illos esse vere pœnitentes, ac proinde vere beatos, qui peccata sua agnoscentes, illorum propter Dei amorem pœnitent. Non igitur beati, sed miseri, qui non propter Dei amorem, sed propter solum aut gehennæ, aut alterius pœnæ timorem pœnitent: quoniam horum peccata non sunt charitate tecta, ac proinde nec remissa. Talis enim pœnitentia cum plene libera non sit, eo quod á timore, qui libertatem aliqua ex parte minuit, nascitur, Deo grata esse non potest. Voluntarie enim Deo sacrificare debet, qui suo sacrificio Deum placare cupit, quoniam non placent Deo coacta servitia. Quicumque ergo pœnitentiam facere proponit (juxta Pauli consilium. 2. *Corinth.* 9.) non ex tristitia aut ex necessitate eam faciat, hoc est, non ex timore, qui necessitatem inducit, & cor tristitia afficit, sed ex amore, qui animum exhilarat. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod si hanc amoris hilaritatem non habes, nec forte à te ipso potes habere, precare Deum, ut tibi illam conferat: quoniam ille est qui rigat montes de superioribus suis ut exhilaret faciem in oleo. (*Psal.* 103.) Ille est enim solus qui dat posse & perficere. Ille est qui tegit aquis superiora animæ nostræ. Precemur ergo omnes illum, ut nobis suum infundat amorem, quo peccata præterita tegere possimus, ut cum tecta fuerint, beati dici mereamur hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Quam nobis præstare dignetur per merita Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

Magnam esse peccati miseriam, vel ex hoc solo conjici potest, quod propheta illum esse censet beatum, cui dominus peccatum non imputavit. Quo fit, ut vice versa non beatus, sed miser ille sit, cui dominus imputat peccatum. Vere miser, quia rectam supremæ miseriæ viam jam est ingressus. Sicut enim pœnitentia (ut jam supra docuimus) beatitudo dicitur, pro eo quod via est certissima ad beatitudinem assequendam: ita peccatum miseria summa dici potest, quia viam aperit ad supremam miseriam, quæ videlicet est in inferno. Et ob hanc causam, peccatum ipsum dicitur porta mortis: quia per illud transitur ad mortem secundam, á qua nulla est resurrectio. Nam de illis qui in peccatum lapsi sunt, David in (*Psa.* 110.) ait: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Portæ mortis æternæ peccata sunt, per quæ transitur ad illam. In his portis sunt peccatores, qui gravia commiserunt delicta: quas portas si corporis morte impellente pertranseant, ad mortem æternam pervenient. Ut igitur peccator hujusmodi effugiat periculum, oportet ut tempestive ab hujusmodi portis pedem retrahant: ne forte parvo mortis impulsu in illam cogatur mortem pertransire, á qua nunquam repedare licebit. Magna itaque miseria peccatum, quod portam latissimam aperit ad ultimam miseriam. Tanta est peccati miseria, ut David in (*Psal.* 39.) peccatum appellet quemdam miseriæ lacum. Nam Deo gratias agens, quod illum à peccato liberavit, ait: *Eduxisti me de lacu miseriæ.* Si tanta est peccati miseria, beatus merito dicetur, qui ab hac miseria longissime abest. Abest autem ab illa, cui ex hoc sæculo migranti Dominus peccatum non imputavit. Beatus igitur ille vir, cui non imputavit Dominus peccatum. In quibus verbis David (ut existimo) declarat id quod prius dixerat de peccatorum remissione. Quia enim prius dixerat illos esse beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, & dubitaret forte aliquis quid sit peccatum remiti, nunc id interpretatur dicens: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Nam peccatum dimittere idem esse censeo, ac non imputare illud. Peccatum enim tunc imputari dicitur, quando ad pœnam destinatum est. Quo fit, ut illud peccatum non imputari dicatur alicui, pro quo nulla illi decernitur pœna in inferno infligenda. Peccatum autem, cui pœna æterna non paratur (de gravibus loquor) illud remissum esse censetur. Ex quibus colligimus,

tos corporis humores poterit nulla præeunte dispositione à corpore ejicere. Propter quod Propheta in (*Psal.* 37.) ait: *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Dicens, iniquitatem meam ego pronuntiabo, ostendit pharmacum. Sirupum vero declaravit, cum dixit: *cogitabo pro peccato meo.* Quid autem pro peccato suo cogitet, alibi expressit, dicens: (*Psal.* 108.) *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Ad hoc igitur cogitat, ut pro illis doleat, ut sic ad Dominum convertatur. Necessarium est ergo ut veram confessionem præcedat cordis contritio. Propter quod Job ait: (*cap.* 10.) *Loquar in tribulatione spiritus mei.* Et iterum. (*cap.* 7.) *Loquar in amaritudine animæ meæ.* In amaritudine animæ, & tribulatione spiritus loquitur, qui peccata sua ex contritione cordis confitetur. Tribulatio quippe spiritus linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis accuset. Sola ergo vocalis peccatorum confessio, quam nullus comitatur dolor, inutilis prorsus censetur. Et merito: quum (ut ait Sapiens (*Eccle.* 17.) *A mortuo velut qui non est, perit confessio.* At peccator omnis velut mortuus judicatur, cum sit elongatus á Deo, qui vita est animæ nostræ. Nam benignus ille pater, qui prodigum filium ad illum revertentem suscepit, ad frugi filium de illo loquens, ait: (*Luc:* 15.) *Mortuus erat, & revixit.* Quo verborum schemate significatum est, peccatorem, qui á Deo vero omnium patre per peccatum elongatur, mortuum esse. Ab illo ergo, cui præterita non displicent peccata, tamquam á mortuo, qui jam non est, perit confessio. Perit, inquam, quia inutilis prorsus judicatur. Neque enim peccata delet neque præcepto Dei præcipientis omnia peccata confiteri, satisfacit. Quoniam si talis celat confessori suam impœnitentiam, & malum propositum, quo apud se statuit, perseverare in peccato, quis non videt illum non plene fuisse confessum? Si vero se minime dolere fatetur, & se etiam nolle abstinere dicit, nullus illum Sacerdos absolvet. Et si quis suæ salutis immemor & alienæ, illum absolvere tentaret, absolutionis verba proferens, illa verborum prolatio inanis prorsus censebitur, cum illam nulla sequatur peccati remissio. At sola peccatorum coram Sacerdote pronuntiatio, quam non comitatur digna & justa absolutio á Sacerdote prolata, vera & integra confessio minime judicatur. Quo fit, ut is, qui sine ulla pœnitudine sua peccata Sacerdoti in aurem dixit, teneatur, ac si illa numquam fuisset confessus, iterum illa confiteri, nisi forte ad eumdem Sacerdotem rediret, qui bene præteritorum meminisset. Tunc enim sat esset suam impœnitentiam fateri, quam si olim dixerat Sacerdoti, nihil opus est repetere, sed novum & bonum quem, Deo inspirante, concepit dolorem & propositum Sacerdoti dicat, & de omnibus olim confessis generali quadam voce se in universum accuset. Et sic veram absolutionem á Sacerdote suscipiat. Quod si illum minime pœnitentem alias Sacerdos absolverat, dolere illum oportet, & confiteri, quod Sacerdotis absolutionem nullatenus dolens suscepterit. Verum si non ad eumdem Sacerdotem, sed ad alium divertere contingeret, aut ille præteritorum immemor existeret, omnia peccata ab usque primo repetere erit necesse. Necesse, inquam, propter divinum imperium, quo quisque sua peccata confiteri Sacerdoti adstringitur. An autem per talem confessionem impleatur præceptum Ecclesiæ præcipientis omnia peccata semel in animo confiteri, alii aliter sentiunt. Mihi vero magis ea probatur sententia, quæ ait, neminem per talem confessionem ab illo Ecclesiæ præcepto liberari, sed teneri illum illa confiteri, ut præceptum Ecclesiæ impleat: quod ni fecerit, illum novi peccati reum esse docet. Verum hic peccatores omnes admonere decrevi, ne hac occasione à peccatorum suorum confessione abstineant, etiam si nullum propter olim commissa scelera habeant dolorem neque ab illis abstinere proponant: quoniam (ut Salvator ait *Joan.* 11.) *duodecim horæ sunt in die.* Hominis enim arbitrium vertibile est, quo fit, ut quod nunc peccatori placet, illi postmodum ad pedes Sacerdotis prostrato possit displicere, & sententiam suam, quam pro futura vita decreverat, mutare. Potest etiam fieri, ut Sacerdotis persuasiones, peccatorem illum (Deo tamen juvante, qui numquam non adjuvat) à malo proposito avocent, & ad melioris vitæ decretum transferant. Et si hæc omnia defuerint: Deus, qui nulla temporis mora indiget, ut cor hominis posit ad se convertere, fortem illum peccatorem quamlibet obstinatum & obduratum inter ipsam peccatorum confessionem mollem efficiet, ut postea cum sancto Job (*cap.* 23.) dicere possit: *Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me.* Et si nullum horum (quod Deus avertat) contingat, & sibi ob doloris, aut boni in posterum propositi defectum negetur absolutio, forte ob negatam à Sacerdote absolutionem verecundiam talem patietur, ut illa sola stimulante, & Deo juvante, qui semper occasiones captat, quibus melius juvare possit, peccator resipiscat. Nam experientia docente cognovimus, multis ad resipiscentiam profuisse negatam absolutionem. Qui ergo absolutionem sibi non negari optat, & datam ad salutem operari, consulat sibi, ut prius vitam suam in melius mutare firmissime statuat, & de malis operibus, prout potuerit, doleat, ne si absque dolore, & vitæ melioris proposito fuerit confessus, augeat peccatum, quod per confessionem delere sperabat: quoniam ille, in cujus ore aut spiritu est dolus, cum non vere pœniteat, nec remissionem potest impetrare peccati. Propter hoc David, qui gemitus, & lachrymas, & alias afflictiones coram Deo obtulerat, ut per illa Deum placare posset, dicebat: (*Psalm.* 38.) *Tota die contristatus ingrediebar.* Dicens, tota die, continuationem doloris expressit, ut nec noctibus nec diebus cessaret à lachrymis. Verum ne levis dolor putaretur, acerbitatem illius expressit, dicens: *Afflictus sum & humiliatus sum nimis.* Sed ne afflictionem illam & humiliationem ut dolosam, & quæ solo corporis vultu consisteret, Deus rejicere posset & contemneret, subdidit: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Non ut à multis prober, solis oculis gemo. Non solo ore me peccasse fateor, sed corde ipso desleo, & clausis oculis tibi soli, qui solus secreta cordis nosti, mecum ipse lugens meos gemitus ostendo. Non enim ego tecum multis verbis agere volo, nec opus est vocem in altum cum clamore valido attollere, nec longa, sed alta tibi offero suspiria ex ipsis cordis imis penetralibus prodeuntia. A gemitu cordis potius ego rugio, quam á gemitu oris. Cum se rugire dixit, vim doloris expressit: quoniam rugire proprium est belluarum, quæ suorum affectuum vehementiam, rugientes exprimunt. Ideo dixit: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Sed unde hoc scire poterimus te non dolose sed vere gemere? Respondit: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Non produco homines in testes, quoniam illi solum vident ea quæ foris patent, te solum offero in testem, qui intueris cor, & abditissimos cordis recessus scrutaris. Nam ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Et talis gemitus, qui ex corde procedit, ad tribunal Christi citissime pervenit, cui advenienti, omnis illi pater janua, nullus est, qui illum prohibere valeat, quo

quo cum pervenit, absque ulla mora quod petit, impetrat, quia non solis labiis, sed corde petit. Deus autem magis cor quam labia attendit. Hoc facile comprobatur testimonio pharisæi & publicani, quorum unus, videlicet pharisæus, solis labiis orabat, sua merita, si quæ præcesserant, jactabat, ut magis videri, quam justus esse posset. In hujus spiritus dolus fuit, quia ea quæ clamare debuerat, tacuit, & quæ silere melius fuisset, clamavit. In ore autem publicani non fuit dolus: quia non solis labiis orabat, sed corde. Nam cor linguæ in oratione consentiebat, propter quod à longe stabat, neque oculos ad cœlum audebat levare, sed suam miseriam & peccatum agnoscens dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et sic orans exauditus est, & descendit in domum suam justificatus. Quare justificatus? Quia non fuit in ore aut spiritu ejus dolus. Ideo in (*Psal.* 16.) Propheta Deum orans, ait: *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.* Ut Deum ad exauditionem alliceret, orationem dixit esse in corde, & non in labiis dolosis. Quoniam illa quæ ex solis labiis pendet, cum sit dolosa, Deo grata esse non potest. Quia igitur id quod dolo factum est, Deo gratum esse non potest, ideo Petrus in sua prima canonica (*cap.* 11.) nos omnes hortatur, dicens: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite:* hoc est, in simplicitate & sinceritate Christianæ innocentiæ ambulate. Quoniam (ut ait Job *cap.* 8.) *Deus non projiciet simplicem.* Nos ergo si Deum placare volumus, præoccupemus faciem ejus in confessione tali, quæ non in solis labiis sit, ut non inveniatur dolus in ore, aut spiritu nostro. Confiteamur peccata nostra corde simul & ore. Ploremus pro peccatis nostris, non solis oculis corporis, sed ad exemplum Prophetæ rugiamus á gemitu cordis nostri, ut sic pœnitentiam sine dolo facientes, peccati remissionem impetrare valeamus, & tandem gloriam assequi sempiternam. Per merita Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.

HUcusque pœnitentiam ab utilitate laudavit Propheta, dicens omnes iniquitates quamlibet graves, illius meritis remitti, per illam omnia peccata tegi, nullumque esse peccatum, quod, illa intercedente, possit imputari. Nunc ejusdem pœnitentiæ laudes prosequens, illam à necessitate laudat, sic inquiens. *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.* Quibus verbis confessionis necessitatem apertissime ostendit, quam ob id, quod peccatum suum tacuit, & illud non fuit confessus, dicit omnes suas virtutes periisse, alioqui non perituras, si ut peccavit, statim peccatum suum agnovisset, & illud fuisset vel coram Deo confessus. Nomine siquidem ossium, in scriptura sacra fortia facta & virtutes sæpe inteliguntur. Et merito: quoniam sicut caro mollis est & debilis, ita ossa dura sunt & fortia, quapropter per illam, fragilitas & vitium multoties designatur, per hæc autem, fortitudo & virtus. Nam de sanctis propheta loquens (*Psal.* 33.) ait. *Deus custodiet omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Quod de ossibus corporis intelligi minime potest: cum multorum martyrum ossa contracta fuisse certo sciamus. Nam (ut de aliis interim taceam) illud est manifestum, quod de sancto illo olim latrone simul cum Christo crucifixo evangelica narrat historia. Sic enim de duobus latronibus loquens ait: (*Joann.* 9.) *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum illo.* Dominus ergo omnia sanctorum ossa sic custodit, ut unum ex eis non conteratur, quia sanctorum virtutes & fortia facta sic Deus ad remunerationem servat, ut nullum illorum sine præmio præterite velit. Tunc enim virtus, aut opus aliquod bonum conteritur, quando propter peccata, quæ postea succedere contingit, digno præmio fraudatur. Nullum est igitur ex sanctorum ossibus, quod Domino custodiente conteratur, quia nullum est illorum præclarum opus, quod Deus magno præmio non afficiat. Hæc sunt ossa illa, de quibus in (*Psal.* 33.) Propheta loquutus, ait: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Quibus verbis significavit virtutes suas divinis non posse virtutibus vel ex longinquo comparari: ita, ut quamvis aliquas virtutes, & præclara aliqua (Deo tamen juvante) á se gesta cognoscat, illa tamen ad Dei bonitatem, & illius clarissima opera relata, nullius prorsus esse virtutis apertissime fateatur. Hæc ossa inveterascunt, cum virtutes sic infirmantur & debilitantur, ut parum absit, quin omnino pereant, quoniam (ut ait Paulus *Heb.* 8.) *quod antiquatur & senescit, prope interitum est.* At post peccatum (nisi peccati accesserit confessio) omnes animæ vires, omniaque illius bona minuuntur. Nam intellectus hallucinatur, memoria non tenet, affectus friget: irascibilis audaciam amittit: concupiscibilis effrænata quocumque libuerit, pergit. Bona etiam, si quæ præcesserant, sopita sunt, non prorsus mortua, virtutes aliæ, hoc est, habitus urgentes animum, & impellentes ad bonum remissiores fiunt, & viam suam amittunt, quoniam non tam vehementer animum ad opus impellunt, ut ante peccatum, nec tam viriliter & fortiter vitiis contrariis obstant. Quo fit, ut nisi aliis medicamentis foveant, cito consumi sit necesse. Non enim statim post peccatum hæc omnia pereunt, sed minuuntur: eoque magis minuuntur (de iis quæ naturæ adjacent loquor, non de illis quæ sunt naturæ insita) quo magis peccati pœnitentia differtur, quæ si multum differatur, peribunt omnino. David postquam adulterium & homicidium perpetravit, non statim illud confessus est, sed tacuit & cœlavit illud in corde suo ferme per annum, & forte eo amplius, quousque scilicet per Prophetam Natham fuit de illo peccato reprehensus, quo tempore puer, qui ex adulterio conceptus fuerat, erat natus. Postquam tamen (Deo inspirante) peccatum agnovit & confessus est, tunc agnoscere cœpit, quæ & quot mala ex dilatione pœnitentiæ sibi obvenerint. Ante siquidem cum recentia erant peccatorum vulnera, propter ardentem peccati amorem illa non sentiebat, postquam vero peccati remissione per pœnitentiam accepta, malus peccati amor refriguit, tunc mala, quæ antea patebant, sensit & ideo ait. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Ac si aperte diceret. Quia non protuli confessionem ad salutem, ideo omnis fortitudo mea in carnis infirmitate consenuit. Quia peccatum meum celavi, omnes animæ meæ vires sic imminutæ sunt, ut per illas, nec vitiis resistere, nec animam ad ima vitiorum ruentem valeam sustentare. Quia vulnera peccatorum meorum medico non ostendi, non fui sanatus, eoque periculosior morbus fuit, quo vetustior. Nam qui vulnus suum celat, latius illud grassari permittit, quod cum celatum fuerit, putrescit, & reliquam partem sanam putrescere facit. Numquam enim medicus vulneri probe mederi poterit, nisi prius illi vulnus suum infirmus detexerit. Sic etiam peccatum, quoniam vulnus est

est animæ, nisi fuerit Sacerdoti per confessionem revelatum, numquam erit á Deo remissum. Manifestandum est ergo vulnus peccati, alioqui sanari non poterit, sed quo magis illud celatum fuerit, plus animum cruciabit. Nam vulnus clausum, vehementer carnem cruciat, sed cum apertum fuerit, putredo, quæ intus fervebat, ejicitur, & tunc, putredine abjecta, omnis prorsus tollitur dolor. Sic etiam cum vulnus peccati silentio clauditur, acerbe nimis animum torquet, si vero illud per confessionem aperuerit, jam amplius torquere non poterit. Aperiat ergo peccator vulnus peccati, si conscientiæ torturam evadere optat. Ostendat vulnus suum medico, si in pristinam incolumitatem cupit restituti: quoniam si medicus vulnus non agnoscit, numquam illi aptam medicinam adhibebit. Si medicina morbo negatur, numquam ad sanitatem poterit infirmus pervenire. Propter quod de peccato Judæorum numquam sanato Esaias loquens ait: (*cap.* 1.) *Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* Prius morborum varietatem descripsit dicens: *Vulnus, & livor, & plaga tumens.* Deinde ægrotorum desperationem subjungit, cum remedia esse morbis negata dicit: *Non est*, inquit, *circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Per tria illa, vulnus scilicet, livorem, & plagam tumentem (sicut quidam sanctorum ait) *tria genera peccatorum intelliguntur.* Per vulnus, intelligi potest peccatum, quod ab infirmitate ortum habuit, per livorem, illud quod committitur per ignorantiam, per plagam tumentem, illud quod per solam malitiam consummatur. Sed his malis tria innuit esse remedia, videlicet, ligatura, medicamentum, & fomentum olei. Ligatura fit per Sacerdotis absolutionem: quoniam (ut ille magnus Hugo Sancti Victoris docet) Sacerdos pœnitentem á peccato solvens, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis, quia quoties se male egisse meminit, peccati malitiam perpendens, toties ad illius pœnitentiam obligatur. Vel per ligaturam potest intelligi illa peccati satisfactio, quam Sacerdos pœnitenti in peccati aliqualem compensationem injungit. Per medicamina, quæ dolorem inferre consueverunt & mordere, si contritionem peccati intellexeris, non absurde feceris. Possunt etiam non incongrue intelligi divinæ comminationes de extremo judicio & æterna damnatione, qualis est illa: (*Matth.* 25.) *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Hoc medicamentum potentissimum est. Hoc unguentum ad hujusmodi morborum medelam, est præ cæteris omnibus efficacissimum. Hoc enim inveteratis vitiorum morbis presentissime mederi solet, & ægros pene desperatos in plenam sanitatem restituere. Vix enim erit homo tam obduratæ & insensatæ mentis, qui si bene tormenta illa æterna, quæ finem non habent, quam sint immania & attrocia perpenderit, non expavescat, & omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta illis tormentis æternis mercari. Hæc est enim illa curatio, de qua Sapiens ait: (*Eccle.* 10.) *Curatio cessare facit peccata maxima.* Sed quia unguentum hoc acerbum est nimis, multumque mordax, ideo olei fomentum adhibere oportet, ut medicaminis dolorem lenire valeat. Oleum hoc, divina est promissio, qua peccatori dignam pœnitentiam agenti, & peccati remissionem, & æternam Deus promittit gloriam, dicens: (*Eze.* 18.) *In quacumque hora peccator ingemuerit, amplius iniquitatum ejus non recordabor.* Et rursum. (*Matth.* 4.) *Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum.* Hoc oleum, quamlibet doloris acerbitatem lenire sufficit, si consideret, & bene perspiciat peccator, quod *momentaneum hoc & leve tribulationis pondus, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce remedia, quæ peccatorum vulneribus mederi valent, quæ si modo congruo adhibere voluerint peccatores, haud dubie, plenam statim recuperabunt sanitatem. Sed si hujusmodi medelam adhibere neglexerint, non mirum, si in sanitatem numquam restituantur. Plenam igitur causam Esaias aperuit, quare Judæorum peccata non fuerint sanata, quia non fuerunt ligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Divinæ siquidem acerbissimæ comminationes, aut dulcissimæ promissiones illos ad peccatorum suorum veram confessionem numquam perduxerunt. Sic etiam David peccatorum vulneribus sauciatus, quum peccata sua in corde celavit, nec medico per confessionem ostendit, ad sanitatem tunc non pervenit, ideo ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Sed numquid talis tunc auricularis peccatorum confessio exigebatur, qualis nunc exigitur? Minime. Quare ergo ait: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea?* Erant tunc necessariæ quædam pro peccatis victimæ in lege mandatæ: quas David ut peccatum suum celaret, omiserat, ideo ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Possumus etiam confessionis necessitatem aliunde convincere, juxta aliam confessionis similitudinem evangelicæ doctrinæ propriorem. Sacerdos enim, qui pœnitentem audit, judex est, qui illum solvere aut ligare potest. Nam his potestatem ligandi & solvendi tradidit Christus, dicens: (*Joan.* 20.) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis apertissime colligitur, necessariam esse Sacerdotis absolutionem ad peccati remissionem obtinendam. Quoniam nullus Sacerdos sicut nullus alius judex potest ligare aut solvere, nisi causam plene intellexerit: quum (ut ait Sapiens *Prov.* 12.) *qui loquitur quæ novit, judex justitiæ est.* Causam non potest Sacerdos agnoscere, præsertim cum peccata sunt occulta, nisi illam peccator Sacerdoti cognitam faciat, illi manifestans. Oporter ergo peccatorem sua peccata Sacerdoti per confessionem narrare, ut illorum absolutionem & remissionem assequi valeat. Si enim peccator illa non revelaverit Sacerdoti, ille de iis quæ non novit, sententiam remissionis dicere non poterit. Si ille non remittit, remissa non erunt. Nam Christus dixit: *Quorum retinueritis, retenta sunt.* Quid est retinere, nisi non remittere? Peccata ergo, quæ à Sacerdotibus non remittuntur, illa non sunt plene remissa: quoniam etsi contritio adsit, quæ ad peccati deletionem valeat, numquam tunc ab obligatione confessionis peccatorem liberabit. Et ob hanc causam peccatum adhuc à Sacerdote retinetur, quousque peccator sub obligatione confessionis illi faciendæ, manet. Hæc igitur Christi verba, quæ nunc proxime ex Joanne citavimus, si diligenter (ut decet) considerentur, apertissime docent confessionem esse à Deo institutam, immo & præceptam. Ex quibus colligimus, misere in hac parte glossatorem decretorum errasse, qui in principio distinctionis quintæ de pœnitentia censet confessionem non á Deo, sed ab Ecclesia institutam. Sed de hac re in eo opere, quod adversus omnes hæreses edidimus longius disputavimus. Hinc est, quod Christus Lazarum resuscitaturus, ait illi: (*Joan.* 11.) *Lazare veni foras.* Non dixit revivisce, sed dixit, veni foras, ut his verbis innueret, peccatorem, qui per peccatum mortuus est, debere per confessionem peccati foras prodire, si ad gratiam, quæ vita est animæ, resurgere debet. Quia enim intra conscientiam suam illius nequitia latebat, ut foras exeat per confessionem, dicitur illi: *Veni foras.* Ut autem clarius intelligas sub illius litteræ cortice

hoc

hoc latere mysterium, considera, quod non statim postquam exiit foras, expeditus ambulavit, & reliqua viventis officia exercuit, sed manibus & pedibus ligatus exiens, Apostolis traditur absolvendus, ut ab illis absolutus, liber tandem quo libuisset, ambularet. Hoc autem ideo factum est, ut innuat peccatorem non statim post peccatorum suorum manifestationem esse á peccatorum nexibus liberatum, sed expectandam esse Sacerdotis absolutionem, ut peccator á peccatis prorsus liberetur. Nam ad hunc finem Sacerdoti peccata per confessionem deteguntur, ut ille de peccatis, quæ sibi narrata sunt, sententiam dicat, absolvens, aut retinens. Sic etiam David ab illa tanti facinoris morte reviviscens, ad vocem Domini quasi foras exivit, dum per Nathan correctus, quod fecerat accusavit, dicens: *Peccavi.* Petrus etiam postquam negavit Dominum, foras exivit & flevit amare. Extra domum exivit & flevit, ut sic misericordiam consequeretur. Domum ego conscientiam esse censeo, intra quam adhuc latet, qui peccata sua in corde celat. Hujus domus quasi quoddam ostium est os. Per hoc egredimur, quando verbis quibus possumus, secreta cordis nostri aperimus, ut quales intus manemus in conscientia, tales foras egrediamur per linguam. Non fuit contentus Petrus intra domum flere: ut per hoc doceret nos Deus solas lachrymas non esse satis ad peccati remissionem impetrandam, nisi adsit etiam peccati confessio. Hinc est, quod postquam Adam peccavit: Deus illum in paradyso requirit, ut peccatum, quod commiserat, confessione deleret. (*Gen.* 3.) Qua in re immensam Dei bonitatem considerare debemus, qui tantam habet nostræ salutis curam postquam peccavimus, ut non prius nos Deum, quem offendimus, sed ille, qui á nobis offensus est, prius nos ad pristinam amicitiam resarciendam perquirat. Nam ad hunc finem Adam in paradyso post peccatum perquirit & interrogat ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret, respiciens agnosceret, agnoscens fateretur, & sic indulgentiam mereretur accipere. Nam serpens ille persuasor quia non erat vocandus ad veniam, non est requisitus de culpa. Interrogat igitur Dominus Adam ubi sit, non quidem quia ipse ignoret, sed ut per interrogationem, illum ad peccati confessionem induceret, & ille per confessionem peccati, ad remissionem perveniret. Hunc enim morem Deus ab initio habuit, ut á nobis peccatorum exigeret confessionem, ut illa interveniente, veniam recipere mereremur. Eadem ratione interrogat postea Cain & ait: (*Gen.* 4.) *Ubi est Abel frater tuus?* Hac interrogatione quasi ignorantiam simulans, illum ad peccati confessionem adducere voluit, ut per illam, indulgentiam impetrare valeret. Sed hoc admonitione dignum est, ut consideremus, quanta fuerit Dei bonitas, qui Cain tanti sceleris patratorem suo colloquio fuerit dignatus. Nos enim sæpe amicos nostros, & cognatos, nec qualescumque, sed fratres, & filios sæpe abominamur, & illos alloqui dedignamur, cum tale aliquod facinus perpetrasse scimus. Sic enim Davidem Regem fecisse legimus, qui Absalonem filium pro nece fratris Ammon tam exosum habuit, ut per annos aliquot illum ante conspectum suum venire non sineret. Nam indulgentia sceleris jam data Absaloni, dixit Rex ad Joab: (3. *Reg.* 14.) *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Factumque est ita, ut ille ad domum suam reverteretur, & faciem Regis non videret. Multo ergo mirari debemus, quod Deus tanta usus sit tolerantia, ut tam scelestum virum, qui tam nefandum facinus primus tentavit, & perpetravit, Deus alloqui non sit dedignatus. Verum medicus ille est, qui omnibus peccatoribus mederi optat. At medicus pius nihil non facit, ut gravi morbo laborantes, incolumitati restituat. Et ideo Deus prope accedere, & illum alloqui non dedignatur, ut ille interrogatus, dicat quid fecerit, & ostendat medico ulcus & ille medicinam adhibeat. Sed ille iterum disrumpit vulnus, & ulcus increscere facit, vulnus vulneri superaddens, & dicit: Nescio. Vide responsi impudentiam, quasi Deum fallere posset, sic ille respondet. Quid cogitas miser? Credis ne te divinos posse frustrare obtutus? Cogitas forte te loqui cum homine, quem alius fallere potest homo? Scis quis sit ille qui tecum loquitur? Ille est, cujus oculi contemplantur bonos & malos. (*Exod.* 15.) Ille est, qui scrutatur renes & corda. (*Psal.* 7.) Ille est, cui nihil est non manifestum, quamlibet sit aliis occultum. Cur ergo dicis, nescio? Verum clementissimus Deus, qui illius salutem ardentissime cupiebat, noluit adhuc illum à suo colloquio repellere, sed illum ad confessionem vehementius urgere cœpit, dicens: *Quid fecisti? Magnam certe vim hæc verba habere videntur.* Ac si dixisset: Quare abscondi procuras, qui abscondi non potest? Scio quid feceris. Nefarium scelus, horrendum facinus, cædem novam tamquam primus dæmonis carnifex humanæ vitæ intulisti. Ille tamen tamquam Deum fallere posset, impudentissime & mendacissime respondit: Nescio. Vidistis insaniam Cain execrandam, & peccatum abominandum. Sed major multo Dei pietas & clementia, qui paratus erat veniam illi dare, si ille peccatum suum non celasset, sed confessus fuisset: quia tamen illud abscondit, remissionem non invenit, & ideo cum David dicere poterit: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.* Lamech autem alieno periculo cautior & sapientior factus, cum virum occidit, videns se animo vulneratum, non abscondit vulnus, non negat factum, sed potius detegit, & peccatum suum fatetur, se de illo accusat, ne ab alio postea accusetur. Expendens siquidem animo, quod negatio graviorem illi pararet pœnam, vocatis mulieribus suis, ait illis: (*Gen.* 4.) *Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.* Dicens, in vulnus meum, innuit se non tantum nocuisse illi, quem occidit, quantum sibi ipsi. Vide insuper qualem habeat sui peccati cognitionem cum illud fatetur: quia sibi ipsi gravem pro peccato decernit pœnam. (1. *Reg.* 15.) Non enim solum vocalis & vana est ista Lamech confessio, velut Saulis, qui cum se peccasse ore fateretur, corde tamen non ita, quia pœnam sibi pro peccato juste à Deo decretam, sustinere noluit. Lamech autem non sic, sed ipse in seipsum sententiam dicit. Sic enim ait: (*Gen.* 4.) *Septuplum ultio dabitur de Cain. De Lamech vero septuagies septies.* Quibus verbis veram esse sui peccati confessionem aperte monstravit, quum non solum peccatum confessus est, sed & pœnam sibi intulit, comparans peccatum suum peccato Cain. Sed dices, quare censet majorem sibi pœnam deberi quam Cain? Peccatum siquidem Cain multo gravius fuit, quoniam frattrem ille occidit, & per insidias, nullaque illi data occasione. Lamech autem nec frattrem, nec per insidias interfecit. Cur ergo in se tam iniquus est judex? Audi. Existimabat quidem illum multo majori pœna dignum, qui alterius pœna non emendatur. Infœlix enim ille merito censeri debet, quem aliena pericula cautum non faciunt. Quum (ut ait Sapiens *Prov.* 19.) *pestilente flagellato stultus sapientior erit.* Et alius admonet. (*Eccle.* 43.) *Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie.* Cain ergo & si per insidias frattrem inter-

fecit, nullum tamen antea qui id scelus commisisset, viderat, nullum antea pro hujusmodi delicto punitum sciebat. Lamech autem, quia Cain propter hoc punitum intellexerat, & illius pœnæ perpetuo memor fuerat, nec tamen ob hoc cautior factus est, dignum se qui majori pœna plectatur, censet. Considera obsecro quantum Lamech profuit pœna, quam scivit fuisse irrogatam Cain. Scivit enim ideo Cain fuisse punitum: quia peccatum suum non solum non fuit confessus, sed Deo celare voluit; ideo Lamech cum in peccatum est lapsus, non expectavit, ut ab alio arguerentur, sed nullo vel accusante, vel arguente ipse semetipsum prodit, & fatetur quod commiserat, uxoribusque suis delicti magnitudinem narrat. Implens illud, quod Sapiens dicit: (*Prov.* 18.) *Justus in principio accusator est sui.* Si quis igitur peccavit, & animæ vulnera curare, & gratiam, quam amisit, recuperare optat, corde compunctus medicum adeat, & medici confidens arti, illi omnia suorum peccatorum vulnera detegat: quoniam statim peccatorum remissionem accipiet. Nec solum hoc, sed gratiam justificantem recipiet. Sic enim illum Propheta admoneat, dicens: (*Esai.* 43.) *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Justificatur enim statim, qui prior iniquitates suas Deo & Sacerdoti dicit. Sed hic admonendum censui, quod non absolute dixerit, dic tu iniquitates tuas; sed addidit, prior. Hoc est, ne expectes te arguentem, ne prælolleris actorem, ipse præveni & cape accusationis principium, ut dæmonem accusatorem obmutescere facias. Hi enim, qui in inferno sunt, seipsos accusant, peccata sua dicunt, se male egisse fatentur, dicentes: (*Sap.* 5.) *Erravimus à via veritatis, ambulavimus viis difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Verum hæc non priores illi dixerunt, sed postquam à dæmone accusati sunt, tunc confessi sunt peccata sua, ac proinde nec justificati, nec à peccatis liberati. Si tamen nos adversarium nostrum dæmonem prævenimus, nosipsos accusantes, & antequam ad tribunal judicis præsentemur, faciem judicis in peccatorum confessione præoccupamus, omnia nobis peccata condonabit, & nos in libro justorum scribet. In quo magna apertissime Dei reluceat misericordia. Nam in humanis & forensibus judiciis, si quis sua scelera & gravia crimina fatetur, quamvis judex sit humanus, capitalem tunc non reformidabit in illum pronuntiare sententiam. Nam (ut quidam ait) non est confessi causa tuenda rei. At misericordia Dei tanta est, tamque ineffabilis bonitas & clementia, ut omnibus, qui sua peccata fuerint confessi, veniam præstare non dubitet. Quoniam (ut beatus Joannes docet 1. *cap.* 1.) *si quis peccata sua fuerit confessus, fidelis est Deus ut remittat.* Vos ergo peccatores omnes admoneo, ut sæcularium judiciorum ordinem convertatis. Nolite negationibus vel excusationibus crimina vestra defendere, sicut sæcularibus advocatis contingit, qui veritatem negando, crimina criminibus defendere consueverunt. Vestras potius culpas narrate, melius propositum, in quod mentes vestras mutastis, indicate, & tunc, lege divina ab hoc mundo longe diversissima ab omnibus sceleribus eritis absoluti, & gratiam à Deo accipietis, qua juvante, æternam valeatis assequi beatitudinem, per merita Jesu Christi filii Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Dum clamarem tota die.

QUI hæc Davidis verba, quæ nunc pertractanda suscepimus, solam faciem inspexerit, & interiora minime penetraverit, existimabit illa velut ex diametro pugnare cum illis, quæ proxime superiore sermone sumus interpretati. Dixerat enim David se tacuisse, & ob eam causam ossa sua fuisse inveterata, quo autem tempore tacuerit, nunc explicat dicens: *Dum clamarem tota die.* At fieri non potest, ut quis tacens clamet, aut clamans taceat. Nam clamor & silentium opposita sunt, secumque pugnantia, quo fit, ut in unum coire non possint. Sed si quale fuerit silentium suum, qualis etiam clamor, quo se tota die clamare dicit, advertimus, facile quæ in speciem pugnare videntur, conciliabimus. Aliud quidem tacuit, & aliud clamavit. Tacuit peccatum ad confessionem, clamavit justitiam per jactantiam. Peccata quia confiteri debuerat, celavit, bona, si quæ fecerat, publicavit. Et quia sic clamans tacebat, inveteraverunt omnia illius ossa, hoc est, omnes animæ virtutes. Qui enim sana membra medico ostendit, & vulnerata tegit, numquam curari poterit, immo potius quotidie pejus habebit. Sic fuit pharisæus ille, qui in templo orans, bona sua jactabat, dicens: (*Luc.* 18.) *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Tales sunt (heu) nimium multi, qui quoniam justi magis videri quam esse appetunt, cum bona aliqua faciunt, non in secreto, sed publice illa facere satagunt. Posiquam facta sunt, aliis, quos latere putant, illa referunt, ut inde ab illis, quibus referunt, æstimentur. Thrasonem agunt, suas canunt laudes, suorum gestorum historiographi fiunt. Ne tamen ita faciant, salvator noster illos admonet, dicens: (*Matth.* 6.) *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in viis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Tuba canit, qui bona sua coram aliis jactat, qui seipsum de bonis, quæ fecerat, laudat. Et hinc est, quod filiis Israel Deus prohibuit, ne primogenita ovium tonderent. (*Deuter.* 15.) Ovis, quæ nulli necet, justitiam & benignitatem significavit. Primogenitum ovis, est virtutis initium. Qui bonum quod facit, aliis narrat, primogenitum ovis tondit, quia sublato secreto, quo quasi quodam vellere virtus ipsa tegebatur, tonsa postmodum virtus manet. Quam grave autem hoc sit peccatum, Job aperte pronuntiat, sic inquiens: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ iniquitas est maxima.* Per manus, opera, per os vero verba significantur: quoniam ore loquimur, & manibus operamur. Ille ergo manum suam ore proprio osculatur, qui sua ipsius opera ore proprio laudat, sed hoc (juxta sententiam Job) iniquitas est maxima. Neque solum iniquitatem ego dixerim, sed potius stultitiam maximam: quod inde censeri potest, quod seipsum laudantes, obstant, ne id quod maxime optant, assequantur. Nam quia inanem quandam gloriam captant, ideo bona, si qua gesserunt, aliis narrant, sperantes hoc medio futurum, ut ab aliis majori æstimatione digni censeantur. Longe tamen aliter quam sperabant, subinde evenit. Nam qui audiunt, ob hanc solam causam illos contemnunt, & quos forte justos putabant, & velut tales venerabantur, postea tamquam peccatores æstimant, & quasi jactabundos dedignantur. Et si forte unus aut alter illius dictis assentiens, illum ob hoc veneratur & suspicit, is è vulgi erit fæce, qui juxta solam rerum faciem judicare solet, & interiora minime scrutatur. At dementia est magna, rem tanem levem, & tam nihili (ut ita dixerim) qualis est vulgi opinio & æstimatio, tam caro pretio emere, ut á viris bonis & doctis contemnantur. Sed hæc parva esset stultitia, bonorum virorum & prudentium æstimationem amittere, nisi eo usque progrederetur, ut bona, quæ fecerat, ob id solum, quod illa in publicum jactarunt, amittant. Hi enim similes sunt gallinis, quæ cum ova excluserunt, statim clamant, atque adeo importunæ, ut auditoribus sint molestæ. Qui autem illarum importunos clamores audiunt, illas peperisse hoc signo intelligunt, & ob eam causam excitantur, & alliciuntur, ut ova, quæ illæ peperunt, perquirant & rapiant, quod forte non fuissent facturi, nisi illarum clamoribus ad hoc faciendum excitarentur. Ad eumdem modum jactabundis contingit. Nam dæmon, qui illos sua bona jactantes auscultat, ad illorum bonorum depredationem invitatur. Suggerit enim illis arrogantiam, & inanem de bonis, quæ habent, gloriam, quæ bona omnia devastat, & sicut ventus urens omnia consumit. Magna ergo stultitia est bona sua in publicum jactare: quoniam (ut egregie beatus Gregorius dixit) deprædari desiderat, qui thesaurum publice portat. Et si hæc magna jure censetur stultitia, qualis quantaque erit stultitia illius, qui bona sua quotquot scire volentibus quadam quasi præconis voce denuntiat. Nam hic talis, illos etiam, qui alias fures non erant, quasi urgere, nedum allicere ad suorum bonorum deprædationem videtur. Quousque ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per viam latronibus refertam ambulamus, quapropter qui deprædati formidat, necesse est, ut abscondat bona quæ portat, alioqui hostes ad rapinam provocare dicetur, si suas bonorum operum divitias illorum notitiæ denudat. Tale in Ezechia Rege contigisse regnorum narrat historia. (4. *Reg.* 20.) Hic enim nuntiis Regis Babylonis ostendit domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit verbum, hoc est res, quam non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua. Quod cum sciret Esaias Propheta, venit ad Regem, & male illum fecisse judicans, dixit ei. *Audi verbum Domini exercituum. Ecce venient dies, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc in Babylone.* Et factum est ita ut Propheta prædixit. Simillimum huic est, quod jactabundis, & inanis gloriæ cupidis contingit, qui post magnas virtutes decrescunt, quia celari in eisdem virtutibus nolunt, sed bona sua publicando, per imprudentiam subito amittunt quiequid magnis cum laboribus acquisierant. Hinc per Psalmistam dicitur: (*Psal.* 77.) *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Tunc virtus & pulchritudo arrogantium in manus hostium traditur, quando bonum, quod factum est, publicatur, ut inde laus habeatur. O igitur miseri, qui bona sua coram aliis jactant: quoniam cum laudes hominum quærunt, in semetipsis dissipant fructus laborum, & cum alienis oculis se ostendere appetunt, damnant bonum opus quod agunt. Et hoc est quod nunc David ait: *inveterata ejè omnia ossa sua dum clamaret tota die.* Tacuit quidem peccata, clamavit virtutes suas, & ideo omnes animæ virtutes infirmatæ sunt. Ad hunc modum interpretantur Hieronymus, Augustinus, & Cassiodorus. Verum etsi jactantia tam mala sit, ut bonorum laborum fructum amittere faciat, nescio tamen an hoc morbo David laboraverit. Non enim mihi constat illum sua bona jactasse, sicut certo scio illum sua peccata celasse. Propter quod alium sensum illa verba mihi habere videntur, quibus David ait: *Dum clamarem tota die.* Ita, ut per illa verba sui peccati gravitatem explicet, quod quamvis gravissimum fuerit, illud tamen medico ostendere non curavit. Quod ergo ait se tacuisse dum clamaret tota die, idem mihi significare videtur, ac si dixisset, se peccatum suum tacuisse, cum tamen illud fuisset gravissimum, ac proinde magis medico egens. Ut autem quæ dicimus confirmemus, illud admonere oportet, quod juxta scripturæ sacræ locutionem opera nostra etiam clamare dicuntur, sicut linguæ. Nec minus operibus clamamus, quam vocibus. Opera enim ipsa quæ facimus, quasi quasdam voces proferunt, aut in laudem nostram, aut in vituperium. Si bona sunt opera, factorem suum laudant, sicut de muliere forti scripsit Salomon dicens: (*Prov.* 31.) *Laudent eam in portis opera ejus.* Opera, inquam, non labia, sicut de jactabundis diximus, quod seipsos laudare soleant. Si vero mala sunt opera, suum ipsorum auctorem coram Deo reum facere non cessant. Et sicut non omnia peccata sunt parva, neque omnia pari sui reatus lance pensantur, ita non omnia æque suas voces attollunt. Nam quæ levia sunt, prout sunt illa quæ venialia dicuntur, vix voces proferunt, sed quasi susurrant, & quodam concluso murmure sic loquuntur, ut vix illorum voces possint intelligi. Quæ autem gravia sunt crimina, palam loquuntur, & sic voces attollunt, ut á quovis possint auditi, nisi surdus ille sit: quoniam quilibet, vel mediocriter doctus, potest illorum gravitatem agnoscere. Gravissima vero præcepta sic efferunt voces, ut clamare dicantur. Neque clamant utcumque, sed sic, ut illorum clamor ad cœlos usque perveniat. Nam de pessimis illis hominibus Sodomæ & Gomorrhæ incolis Dominus ad Abraham loquens ait: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Quia enim nimium atrox peccatum Sodomorum erat, ideo illos clamasse dixit, operibus siquidem clamabant. Quid autem clamaverint, pœna in illos inflicta declaravit. Nam clamabant vindictam, instanter & importune ultionem á Deo petebant. Ne igitur illi, aut quicumque alius Deum accusaret quod injustam adversus illos Sodomos & Gomorrhæos proferret sententiam, ut se ab hujusmodi calumnia liberaret, ait (*Gen.* 18.) *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quo pacto autem clament, declaravit cum subdidit: *Et peccatum eorum aggravatum est nimis:* Ac si diceret: Ego illis accusationem non infero, sed sunt testes quam plurimi qui illos accusant, gravissima scilicet crimina quæ commiserunt, quæ tam anxie clamant, & ultionem petunt, ut nisi injustus sim judex, illis parcere non possim. Si igitur punio, quasi invitus facio, quoniam illorum gravissima peccata, quæ clamare non cessant, me ad vindictam de illis sumendam compellunt. Deinde, afflictio pauperum, eo quod grave etiam ipsa sit peccatum, ad Deum etiam clamare dicitur: *Vidi* (inquit Dominus *Exo.* 3.) *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Cum ait se audivisse clamorem ejus, & si possit illud referri tam ad populum afflictum, quam affligentem, verba tamen quæ sequuntur, suadent, ut quæ præcesserant, de populo Ægyptio filios Israel affligente, in-